



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. IV. Vtrum sit officium sacerdotis catechizare & exorcizare
baptizandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

illud solum sit initium inter Deū & Abraham eiusque posteros per Isaac & Iacob descendentes.

ARTICVLVS III.

Virum ritus circumcisionis fuerit conueniens?

4.

Resp. affir.
Mens D.
Th.

AFFIRMAT.

Notandum S. Th. potissimum disputare de parte corporis in qua circumcisio conferebatur, de tempore quo conferebatur, & de instrumento, ut patet ex argumentis eorumque solutionibus.

Quantum ad primum, docet circumcisionem conuenienter factam in membro generationis, quia commodè in ea parte est instituta, in qua spes generationis, & natura propaganda in Abrahamo deficiebat. Omitto alias rationes morales quæ plures à Patribus adferuntur.

Gen. 17.
Cuius octauo
die fieri de-
buit.

Quantum ad secundum, constat circumcisionem fieri debuisse octauo die, patet ex Gen. 17. cuius ratio litteralis est, quod antè periculum fuisset paruulo creatum; mystica est, quod circumcisio carnalis non solum significaret circumcisionem spirituales vite presentis, sed etiam futuræ, in qua erimus liberi ab omni poenaltate, quod per octauum diem significatur.

Etiam sab-
bato fieri
debebat si
dies octa-
uus in sab-
bato in-
cideret?
Ioan. 7.

Quamuis autem cessante periculo circumcisio non posset differri ultra diem octauum, ita ut etiam in sabbato fieri deberet, si in illum incideret octauus dies paruuli, iuxta illud Ioan. 7. si circumcisionem accipit homo in sabbato ut non soluatur lex Moysi, scilicet de circumcidendo paruulo die octauo. nihilominus propter periculum differri poterat ultra illum octauum diem, & facta post diem octauum fortiebatur rationem Sacramenti, quamuis variorum sententiæ facta ante illum diem rationem Sacramenti non fortiretur, ita ut non tantum ex precepto dies octauus esset expectandus, sed etiam propter rationem Sacramenti.

Exod. 4.
Ios. 5.
Iudei fre-
quentius
vbi sunt in
circumci-
sione cul-
tro ferro.

Quantum ad tertium S. Th. responsione ad 2. censet instrumentum circumcisionis non necessariò fuisse cultrum lapideum, sed potuisse esse ferreum, quod etiam tenent varij. unde dico licet aliquæ circumcisiones factæ sint cultro lapideo, ut patet Exodi 4. & Iosue 5. non tamen id fuisse præcepti, cum nusquam tale præceptum legatur, & Iudei frequentius vbi fuerint cultro ferro.

Notandum circumcisionem quouis loco fieri potuisse, cum nullibi in Scriptura locus determinetur, similiter fieri potuisse à quavis persona, viro, femina, immò ab eo ipso qui circumcidebatur, quia nihil etiam de eo in Scriptura est determinatum.

ARTICVLVS IV.

Virum circumcisio conferebat gratiam iustificantem?

Resp.

RESPONDET in circumcisione collatam fuisse gratiam, non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circumcisio. Doctrina huius articuli explicata est suprâ quest. 62. art. 6. dub. 2.

QVÆSTIO LXXI.

De preparatorijs quæ simul concurrunt cum baptismo?

ARTICVLVS I.

Virum catechismus debeat precedere baptismum?



AFFIRMAT. quod in adultis satis constat ex Matth. vlt. emnes docete omnes gentes baptizantes eos: vbi baptismo adulti præmittitur catechesis. Probat etiam

D. Th. ex eo quod baptismus sit Sacramentum fidei christianæ, ut autem aliquis fidem suscipiat, conuenienter debet in rebus fidei necessarijs erudiri, debet etiam erudiri de ijs quæ ad mores pertinent. Præter hunc catechismum omnino necessarium pro adulto, alius ab initio Ecclesiæ solet adhiberi, de quo videri possunt Manualia, & adhibetur etiam paruulis baptizandis, non quod Ecclesiæ vllum rationis vsum illis inesse putet, sed primò id sit ex quadam accommodatione ad imitationem catechismi adultorum. 2. ut per hoc sponsores admoneantur sui muneris in procuranda baptizati instructione, cum peruenit ad ætatem adultam. 3. ut quasi solemnem professione cõstet de obligatione baptizati in cuius persona sponsores responderunt, credo.

Resp. affir.

ARTICVLVS II.

Virum exorcismus debeat precedere baptismum?

AFFIRMAT. quia quicumque, inquit, sapienter opus aliquod aggreditur, prius remouet impedimenta, unde antequam conferatur baptismus, conuenit cohiberi Dæmonem, ne baptismi fructum impediatur.

Resp. affir.

ARTICVLVS III.

Virum ea quæ aguntur in exorcismo aliquid efficiant?

AFFIRMAT.

ARTICVLVS IV.

Virum sit officium sacerdotis catechizare & exorcizare baptizandum?

CONCLUSIO quæ ex doctrina D. Th. potest elici est quod principaliter pertineat ad sacerdotem catechizare & exorcizare; minus principaliter tamen etiam ad alios possit pertinere tanquam ad ministros, catechizare quidem ad lectorem, exorcizare verò ad exorcistam.

Resp. affir.

DV.

D V B I V M I.

De ceremonijs baptismi.

Olim cum plures ad baptismum accederent adulti, variae caeremoniae usurpabantur, quae ab ipso Ecclesiae initio fuerunt usitatae.

Prima est quod cum peterent baptismum, nomen suum dabant & admissi vocabantur competentes, de quibus plures Patres, & nominatim August. lib. de cura pro mortuis cap. 12. *pascha appropinquabat, dedit nomen inter alios competentes, eisdem vocabantur electi* vt patet ex Leone epist. 4. cap. 5. & 6. vbi

Aduerte duplex olim fuisse genus catechumenorum, prius eorum qui exhortationes audiebant, nondum tamen petierant baptismum, & ij vocabantur auditores: posterius qui baptismum petierant, hi vocabantur competentes & electi, qui & in rebus fidei & morum erudiebantur, varisque exercebantur in orationibus, ieiunijs &c.

Secunda caeremonia est scrutinium, quo nomine significatur examen & exploratio qua inquirebatur num competentes firmiter fidei mysteria crederent, eaque probe tenerent. fiebant autem varia examina, quorum praecipuum erat tertium, fieri solitum feria 4. post Dominicam quartam quadagesimae, quo tempore variae aliae caeremoniae adhibebantur. scrutinij inter alios meminit Leo epist. citata cap. 6.

Tertia est abrenuntiatio Satanae & operum eius: quae caeremonia est antiquissima, cum eius meminerint Clemens Romanus lib. 7. Constitutionum Apostolicarum cap. 42. Tertull. lib. de spectaculis cap. 1. Basil. lib. de Spiritu S. cap. 27. August. lib. de Symbolo ad Catechumenos cap. 2. ante medium, & alij. haec caeremonia fiebat in ipso scrutinio, & paulo ante baptismum, & quidem ter, vt tradunt authores.

Quarta est fidei professio, quae tum tempore scrutinij, tum tempore baptismi proprio ore baptizandi fiebat symboli recitatione; illius meminit Clemens supra, Hiero. dialogo aduersus Luciferianos num. 24. & alij.

Quinta est signum crucis tempore scrutinij formari solitum in fronte & pectore, huius meminit Basil. supra, eamque reponit inter apostolicas traditiones August. lib. de catechizandis rudibus, cap. 20. vbi dicit *crucis signo in fronte hodie tanquam in posse signandus es.*

Sexta est exorcismus; cuius plurimi Patres meminerunt, videri potest Ambros. lib. 1. de Sacramentis cap. 5. sub finem. Leo epist. citata cap. 6. qui dicit secundum regulam apostolicam catechumenos exorcismis scrutandos esse. ex quo patet exorcismos solitos adhiberi tempore scrutinij.

Septima, quae praecedenti potest annexi, est exsufflatio, per quam significatur expulsio demonum & afflatus boni spiritus, quem homines recipiunt, cum malus spiritus recedit, huius meminit August. lib. 6. contra Iulianum cap. 2. *Ecclesia filios suorum nec exorcizat, nec exsufflat, si non eos de potestate tenebrarum, & a principe mortis erueret; & infra; id tu commemorare timuisti, tanquam ipse ab ipso toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi quae princeps mundi a paruulis eicitur fors, contradicere voluisset.*

Octaua est gustus salis sacerdote tangente file os catechumeni & gustandum praebente. hu-

ius caeremoniae meminit S. Greg. in Sacramentario.

Nona est tactus narium & aurium cum salina, in qua caeremonia dicitur, *ephra*, hoc est, *adaperire*. huius caeremoniae meminit Ambros. lib. de ijs qui mysterijs initiantur cap. 1. quamuis salina non faciat mentionem, & Greg. in Sacramentario.

Decima est manus impositio & benedictio sacerdotis. huius meminit Clemens lib. 7. citato cap. 40. & August. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 26. desumiturque haec caeremonia ex Euangelio Matth. 19. vbi Christus legitur paruulis manus imposuisse.

Vndecima est vinctio quae fit ante baptismum simplici oleo benedicto, in pectore & in scapulis, huius meminit Basil. supra & alij.

Duodecima est abstinencia a vino, carnibus, ab vxore, & alia penitentiae opera quibus catechumenus praeparabatur ad tantum Sacramentum dignè recipiendum. vnde haec potius pertinent ad dispositionem baptizandi, quam ad baptismi caeremoniam. videri potest Concil. Carthaginense 4. can. 85. & 86.

Haec olim praemitti solebant baptismi. de quibus videri potest Rabanus lib. 1. De institutione Clericorum cap. 25. & sequentibus, & alij tum antiqui tum recentiores, qui plures Patres citant.

Hoc tempore non omnes obseruantur in baptismo solenni, sed adulto sufficienter instructo, de cuius dispositione moraliter constat, accedente ad baptismum, petitur eius nomen, deinde num abrenuntiet Satanae? interrogatur etiam de symbolo fidei. 3. sacerdos insufflat ter in eius faciem in modum crucis. 4. signat eum in fronte & pectore signo crucis, item in auribus, oculis, naribus, ore, scapulis. 5. imponit manum super eius caput. 6. saltem benedictum accipit & immitit in os catechumeni. 7. fiunt exorcismi cum varijs manuum impositionibus. 8. catechumenus inducitur in Ecclesiam, & sacerdos imponit manum super caput eius. 9. sacerdos accepta salina tangit pollice aures & nares electi. 10. pollice inungit pectus eius, deinde scapulas in modum crucis oleo catechumenorum. haec & similia ponuntur in Rituali Romano Pauli V. sub certis orationum formis, quae etiam saltem pleraque praescribuntur in solenni baptismi paruulorum, in quo vnusquisque Ecclesiae suae ritum sequi debet, neque potest pro arbitrio praetermittere, vel immutare.

Solet etiam in baptismi imponi nomen. curat autem Ecclesia, ne nomina Paganorum pueris imponantur, vt patet ex varijs Synodis tam Prouincialibus, quam Diocesanis. & quamuis initio Ecclesiae adulti accedentes ad baptismum non mutarent nomina, iam tamen est usitatum vt mutent, & nomen aliquis sancti assumant, solent etiam adhiberi patrini, de quo supra quaest. 67. art. 7.

Quaedam etiam caeremoniae sequuntur baptismum solemnem, olim

Prima erat osculum pacis, quo denotabatur baptizatum iam esse fratrem nostrum. huius mentionem videtur facere Cypr. epist. 59. seu lib. 3. epist. 8. quae est ad Fidum.

Secunda erat vinctio chrisimatis in vertice, cuius mentionem facit Innoc. 1. epist. 1. cap. 3. Hiero. dialogo aduersus Luciferianos num. 20. vbi di-

cir non

Greg.

Ambros.

Greg.

Clem.

August.

Basil.

Conc.

Chart. 4.

2.

Iam non

seruantur

omnes caeremoniae in

baptismo

olim seruati

soli.

Olim adul-

ti non mu-

tabant no-

mina in

baptismo.

3.

Ceremo-

niae olim

consequen-

tes baptis-

mi solem-

nem.

Osculum

pacis.

Cyprian.

Vinctio

chrisimatis.

Innoc.

Hieron.

cit non licere presbyteris sine chrismate baptizare. vbi

Notandum quod cum initio Ecclesia Episcopi Sacramentum baptismi solerent administrare, solerent etiam post illud conferre confirmationis Sacramentum & vngere chrismate in fronte (quod illis solis competere infra ostendemus) & de hac vntione loquuntur varij Patres: crescente vero numero baptizandorum illud munus presbyteris est relictum, qui cum Sacramentum confirmationis conferre non possent, verticem baptizati vngent chrismate ab Episcopo benedicto.

Tertia erat cereus accensus, cuius caremonia meminit Nanzianzenus orat. 40. sub finem.

Quarta erat vestis candida, quae solebat dari baptizatis deferenda usque ad Dominicam in Albis. huius meminit Ambros. lib. deijs qui mysterijs initiuntur cap. 7.

Quinta erat delibatio lactis, & mellis, vel vini. cuius mentionem facit Hiero. dialogo contra Luciferianos num. 15.

Sexta erat lotio pedum, quae in quibusdam Ecclesijs fiebat.

Hoc tempore prima caremonia non est in usu; similiter neque quinta, & sexta: sed secunda, etiam si baptizet Episcopus, qui etiam inungit chrismate verticem baptizati in signum crucis. sunt etiam in usu tertia & quarta: quamuis enim candida vestis non detur paruulis, tamen illius loco datur album linteum quo caput paruuli tegitur. adulto datur alba vestis, quam induit. praeterea si adfit Episcopus qui id possit praestare, adultus neophytus Sacramentum confirmationis ab eo recipit. videri potest Rituale Romanum Pauli Quinti, similiter & Pastoralia, quibus vnusquisque vti debet iuxta suae Ecclesiae consuetudinem.

Circa haec notandum 1. quod sacerdos in baptismo non debeat vti antiquo oleo sancto, vel antiquo sacro chrismate, id est alterius anni, sed benedicto eodem anno ab Episcopo feria quinta in Cena Domini; nisi videlicet necessitas urgeat. unde pastores diligenter debent nouum procurare, & antiquum in Ecclesia comburere, vt Rituale Romanum de baptismo §. de sacris oleis; vel secundum aliquas Ecclesias, debent lampadi ante venerabile Sacramentum infundere: vel super piscinam comburere. Quod si haec deficiant, neque aliunde oleum benedictum haberi possit, aliud oleum oliuarum non benedictum adijciatur in minori quantitate iuxta Rituale Romanum supra.

Nulla tamen modo licet simplici sacerdoti etiam ex commissione Episcopi oleum benedicere. *Cap. Aqua.* vel chrisma conficere, vt patet cap. aqua de consecratione Ecclesiae, vbi dicitur: licet Episcopus committere valeat, quae iurisdictionis existunt, quae ordinis tamen episcopalis sunt, non potest inferioris gradus clericis demandare. nomine autem inferiorum clericorum intelligi simplices sacerdotes, patet ex praecedentibus.

Quod vero in Concilio Tolet. 1. cap. 20. dicitur, sine consensu autem Episcopi nihil penitus presbyteri agere presumant; (scilicet quoad chrisma conficiendum, de quo ibi est sermo) qua loquendi forma videtur concedi, vt ex consensu Episcopi simplices sacerdotes valeant chrisma conficere; vel non habuit vim pro vniuersa Ecclesia, sed pro illa Prouincia, pro qua Concilium est à Leone 1. confirmatum, vel certe est reuocatum per cap. aqua, citatum.

Notandum 2. quod licet materia sufficiens baptismi sit quauis aqua naturalis, non possit tamen absque peccato extra necessitatem conferri in aqua non benedicta secundum ritum Ecclesiae, itaque baptismus debet administrari in aqua quae solet debet mitteri pridie Paschatis & Pentecostes consecrari, cum infusione chrismatis; quae si deficiat, alia etiam extra illa tempora est consecranda, immo, si talis commode possit haberi, est adhibenda in baptismo etiam non solemni, in quo tamen non videtur magis scrupulus faciendus.

Notandum 3. extra necessitatem baptismum solum posse conferri in loco ad id peculiariter deputato, qui vocatur Baptisterium, Clementina strati in synagoga de baptismo & eius effectu; & ita non licet in priuatis aedibus, vel etiam Oratorijs conferre baptismum extra necessitatem; quod intelligo o locis & terris vbi habetur huiusmodi Baptisteria, nam in terris haereticis infectis, in quibus infantes non possunt deferri ad Ecclesiam, eo quod desint templa catholica, baptismus conferri potest in priuatis aedibus etiam cum solemnitate, quia melius est citra aliam necessitatem baptizare in priuatis aedibus etiam cum omni solemnitate, quam in integro regno, prouincia, vel ciuitate nunquam illas caremonias adhibere. neque Clementina videtur talem casum comprehendere.

In ea Clementina excipiuntur liberi Regum & Principum, id est eorum qui in suos habent ius regium & supremam potestatem, vt Principes, Duces, Marchiones, Comites qui in sua temporali administratione ab alio non pendent. vide glossam communiter à Doctoribus receptam. Sub liberis autem non solum comprehenduntur filij, sed etiam nepotes per lineam masculinam descendentes, iuxta aliam glossam ibidem, non tamen filij filiarum. Talibus libellis potest baptismus conferri in aedibus priuatis, conuenit tamen conferri in Oratorijs vel Capellis eorum, neque possunt solemnitates omitti extra casum necessitatis.

D V B I V M II.

Utrum hi ritus conuenienter adhibeantur in baptismo?

Eos reiecit Wicleff, contra quem fuit Waldensis tomo 3. de sacramentalibus cap. 45. & sequentibus.

Reijciunt etiam heretici nostri temporis, vt videre licet apud Caluini lib. 4. institutionum hereticarum cap. 15. §. 19. 1. quod sint humanum inuentum, nec in Scripturis contineantur, nec de his diuinum extet preceptum, 2. quod initio Ecclesiae non adhiberentur.

Sed heretici seipsos proprio gladio iugulant, sed relictum in administratione baptismi aliqua praeteriunt, et bant quae nec continentur in Scriptura, nec ex diuino precepto sunt adhibenda, vt enim refert Bell. lib. de baptismo cap. 24. Caluini in libello de formula sacramentorum administrandorum praeficit 1. vt infans adferatur ad baptismum die Dominico, aut alio quo populus in Ecclesia ad conuentionem conuenit. 2. vt qui deferunt infantes, interrogentur an spondeant se illos infantes instituturos in doctrina fidei & morum cum adoleuerint, & sponione facta pergatur in baptismo. 3. vt imponatur nomen baptizando. 4. vt forma baptismi pronun-

Cereus accensus.
Nazian.
Vestis candida.
Ambros.

Delibatio lactis, & mellis, vel vini.
Hieron.
Lotio pedum.

Iam non sunt omnes in usu.

4.

Sacerdos in baptismo vti debet chrismate benedicto eodem anno.

Cap. Aqua.

Concil. Tolet. 1.

5.

Excipiuntur filij Regum & Principum, & nepotes per lineam masculinam descendentes.

6.

Eos reiecit Wicleff.

Et refert Bell.

Caluini.

Sunt praeteriunt.

Refert Bell.

pronun-

pronuntietur lingua patriā. 5. vt symbolum, oratio Dominica, & aliae preces recitentur; quorum nihil in Scriptura praecipitur in baptismo adhibendum, immo excepta oratione Dominica nihil continetur. praeterea nihil eorum legitur adhiberi in pluribus baptismis, de quibus agitur in Actis Apostolorum.

Lutherani addunt abrenuntiationem Satanæ & pomparū eius, immo Lutherus voluit formari signum crucis in fronte & pectore baptizandi. ex quibus satis constat vel ipsis testibus, posse aliqua adhiberi in Sacramentorum administratione, quæ nec diuino præcepto nec sacrâ Scripturâ continentur. unde

Resp. & dico ritus in baptismo solemnī adhiberi solitos conuenienter adhiberi.

Probat 1. ex can. 13. de Sacramentis in genere sess. 7. Concilij Trident. vbi dicitur, anathema afferenti receptos & approbatos Ecclesiæ Catholice ritus in solemnī Sacramentorum administratione adhiberi solitos aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libitu omitti &c. posse. ex quo manifestè deducitur conuenienter institutos & adhiberi solitos.

Probat 2. Ecclesiæ data est potestas adhibendi in Sacramentorum administratione illa, quæ ad maiorem reuerentiā & deuotionem excitandam iudicatur expedire, cūque Ecclesiā in his errare non possit, fatendum est ritus ab ea præscriptos conuenienter adhiberi.

Probat 3. ritus quibus nunc utitur Ecclesiā, sunt antiquissimi, & plerique ex Apostolica traditione manarunt, vt patet ex citatis authoribus dub. precedente, & pluribus alijs.

Probat 4. discurrendo per singulos ritus. baptisum est Sacramentum fidei, per quod aliquis ingreditur in Ecclesiam & familiam Christi, & obligatur ad seruanda eius præcepta, regeneraturque in nouam creaturam; vt autem aliquis in alterius familiam admittatur &c. conuenienter ab eo exigitur, vt cognoscat quid in ea sit præstandum, & huiusmodi alia; ergo Ecclesiā prudenter instituit vt admittendi ad baptismum catechizentur & instruantur in rebus fidei & morum, iuxta præceptum Domini Matth. ultimo. Prudenter etiam olim instituebantur tot examina, vt de sufficienti notitia, quam habebant ritum fidei, melius constaret; preparabantur etiam per orationes & ieiunia ad baptismum digne recipiendum. Prudenter etiam à baptizandis exigitur professio fidei, & vt symbolum recitent. item vt abrenuntient Satanæ. Itaque prima, secunda, tertia, quarta, & duodecima ceremoniæ prudenter & sanctè adhibebantur, & iam adhibentur prima, tertia, & quarta.

Quinta ceremonia quæ est signum crucis, conuenienter etiam adhibetur, petendo vt baptizandus signum crucis accipiat, tam in fronte, quam in corde, vt templum Dei esse possit. eodem signo aures signantur, vt audiat diuina præcepta, oculi vt videat claritatem Dei, nares vt odorem suauitatis Christi sentiat, os vt loquatur verba vite, scapula vt suscipiat iugum seruitutis Dei.

Sexta, exorcismus præcipue irridetur à Caluio lib. citato cap. 19. §. 24. Sed immerito, cū ex antiquissimis Patribus constet traditam Ecclesiæ potestatem exorcizandi & coercendi Dæmones. Huc pertinet septima, quæ est exsufflatio, per quam significatur quod immundus spiritus discedat & locum det Spiritui S.

Octaua est gustus salis, quo significatur baptizandum debere sumere salē sapientiæ in vitam æternam.

Nona tactus aurium saluā designat quod aures aperiri debeant ad audiendum verbum Dei: tactus verò narium designat approbationem doctrine.

Decima impositio manus fit ad imitationem Christi Domini Matth. 19. & simul cum ea petitur vt catechumenus digne possit accedere ad gratiam baptismi, vel recitantur aliae preces iuxta Rituale Romanum. Vndecima, vinctio pectoris adhibetur vt occludatur diabolo ingressus, vinctio verò scapularum fit vt homo vndique contra diaboli insidias muniatur, vel per priorem significatur recta, fides in animo suscepta, per posteriorem verò exercitium bonæ operationis.

Post baptismum olim dabatur osculum pacis in signum, quod baptizatus sit frater noster. 2. vextex baptizati inungitur chrisimate, vt Christus illum chrisimate salutis linat. 3. datur cereus accensus in signum fidei & acceptæ gratiæ, & quod baptizatus sit translatus à potestate tenebrarum ad lumen & sortem sanctorum, vel vt meminerit quod debeat irreprehensibilis suum baptismum custodire, & Dei mandata seruare. Denique datur vestis candida designans vitam immaculatam, quam baptizatus debet instituere. Vltima ceremonia scilicet lotio pedum iam non est in usu, & olim solum fuit vsitata in quibusdam Ecclesijs particularibus. non solet etiam nunc dari lac & mel quibus designabatur recenter baptizatorum infantia.

Ex quibus patet has ceremonias nihil indecorum vel vanum continere, sed sanctè adhiberi in baptismo, vel propter instructionem, vel propter significationem, vel propter spirituales aliquem effectum; similiter ad excitandam deuotionem & reuerentiā erga Sacramenta, & ad fidelium instructionem. nam per hæc sensibilia quæ in baptismo adhibentur, instruuntur ad querenda illa quæ per res huiusmodi significantur. vide S. Th. quaest. 66. art. 10.

Rationes hæreticorum nullius sunt momenti. nam Ecclesiā bene potuit aliqua adhibere à Deo non præcepta, ad maiorem Sacramentorum ornatum, & ad significanda ea quæ in Sacramentis peraguntur. & licet initio Ecclesiæ non fuerint adhibita, non arguit quod non potuerint postmodum præscribi & decenter adhiberi. adde initio non potuisse commodè adhiberi, cū Ecclesiā nondum ita esset fundata.

D V B I V M III.

Utrum huiusmodi ceremoniæ aliquem effectum spirituales habeant?

SUPPONO per illas non infundi gratiam sanctificantem, nec tolli mortale peccatum, quia non habent vllam vim immediatam circa gratiam sanctificantem, cū non sit concessa Ecclesiæ facultas instituendi aliquam ceremoniam quæ gratiam ex opere operato conferat. hoc præmissis

Resp. & dico 1. exorcismi & insufflationes habent quandam vim coercendi dæmones. patet ex orationibus quæ in illis adhibentur item

Ritus in baptismo adhibetur vel ad instructionem, vel significationem, vel spirituales aliquem effectum.

Ecclesiā potest adhibere quædam à Deo non præcepta.

Conclus. 1. Exorcismi habent vim aliquam ad coercendos Dæmones & quomodo.

ex eo quod Ecclesia habeat potestatem aliquam circa Daemonum expulsionem, ut constat ex usu Ecclesiae, & colligi potest ex Caesario epist. ad Episcopos Galliae cap. 9. & ex Concilio Carthaginiensi cap. 7. Hunc vero effectum operantur partim per modum impetrationis, partim per modum cuiusdam imperij, ut patet ex orationibus Ecclesiae & potestate illi concessa. hic tamen effectus non est infallibilis, quia non est ita absolute Ecclesiae promissus.

Conclus. 2.
Valent etiam
plerique
ad gratias
praeuenientes
obtinendas.

Explicatur
locus D.
Thom.

Dico 2. valent etiam pleraque caeremoniae ad gratias praeuenientes suo tempore obtinendas, quibus pij motus in animo baptizati excitentur, idque per modum impetrationis. patet ex orationibus Ecclesiae, quibus petitur ut baptizandus portet crucem Domini, ut liniatur chrismate salutis &c. qua ratione potest intelligi D. Thom. art. 3. ad 4. dicens quod unctio quae fit in capite, operetur conseruationem gratiae baptismalis. potest, inquam, intelligi non quod immediate hanc conseruationem operetur, sed mediante pio motu, ad quem conducit mediante gratia praeueniente, quam impetrat.

DUBIVM IV.

Utrum baptismus aliquando sine praedictis solemnitatibus possit licite conferri?

IO.

In necessitate potest baptismus sine illis conferri.

Respondeo posse, ita communissime Doctores in necessitate enim quando paruulus vel etiam adultus periclitatur de vita, potest conferri omnis solemnitas.

Confirmatur, eo casu, deficiente sacerdote vel diacono potest alius baptizare, qui tamen non potest conferre baptismum solemniter; potest etiam baptismus domi conferri, si periculum mortis non patiatur, ut patet ex Clementina unica de baptismo, & eius effectus potest similiter conferri in aqua non consecrata, si baptismalis haberi nequeat. adde quod quando baptismus conferitur in domo priuata, non possit commodè adhiberi aqua baptismalis, cum ea non possit effundi in loco profano.

Quaest.

Potes an alia de causa baptismus minus solemniter conferri possit?

Respondeo posse, nam in Rituali Romano ponitur vel alia cogente necessitate. Constat, solemnitates sunt ab Ecclesia introductae, cuius praeccepta non solent obligare cum magno incommodo, & praesertim in hoc Sacramento, ex cuius administratione solemniter interdum grauius incommoda sequi possunt. unde ut baptismus possit licite conferri absque solemnitate, puto sufficere causam quae iudicio prudentis iudicetur grauis, videturque sufficere, quod proles alicui solemniter baptizata non possit gaudere priuilegijs alicuius loci, unde quatuor, quod arceatur ab adeunda hereditate opulenta, prout dicitur fieri in Francia; ad hoc enim ut proles etiam alicuius Franci gaudeat priuilegijs regni, dicitur requiri ut solemnitates baptismi in Francia adhibeantur: quod si ita est, existimo prolem alicui natam posse baptizari sine solemnitate, ut ex postmodum in Francia suppleri possint. neque enim videtur Ecclesia velle cum tanto rigore solemnitates adhiberi, ut praetermitti non possint propter hanc vel similem causam.

Ut possit sine ritibus conferri, sufficit causa iudicio prudenti grauis.

II.

Puto etiam iustum timorem alicuius infamiae

incurrenda esse causam sufficientem ad baptismum priuatim conferendum, ut si proles suscepta sit ex adulterio, incestu, sacrilego concubitu, & non possit proponi publice & solemniter baptizanda, quin parens, qui crimen occulte commisit, reueletur cum infamia, puto sufficientem esse causam baptismi priuatim conferendi siue pater sit occultus, siue etiam mater; v. g. in quibusdam episcopatibus quando de parentibus dubitatur, solet mandari obsterici vel etiam susceptorum etiam sub pena excommunicationis ut declarent parentes; fieri autem potest, ut in casibus positus grauis sequatur infamia, si parens reueletur; eo casu dico sufficientem praebere causam baptismi priuatim conferendi, si non speretur quod responso poterit declinari. idem fit iudicium si ex reuelatione timeatur grane scandalum, vel auersio parentum cum periculo exclusionis ab ampla hereditate: quia Ecclesia non potest prudenter praesumere velle baptismum solemniter conferri, si indefectum graue detrimentum honoris proximi, vel grauis infamia &c. quod enim est institutum ad Sacramenti ornatum & ad deuotionem excitandam, non potest iuste exigi, si nequeat exhiberi absque graui damno proximi, ut contingeret in casibus recensitis, praesertim cum solemnitates postmodum suo tempore possint suppleri.

Constat, nullus tenetur seipsum infamare, neque Praelati possunt exigere ut peccator occultus se prodatur, quando non timetur in posterum grane aliquod malum, & si urgeant, possunt peccare contra iustitiam; quando ergo prudenter timetur quod haec incommoda vitari nequeant, si proles deferatur ut solemniter baptizetur, potest priuatim domi baptizari. non est tamen laxitas inducenda, neque baptismus priuatim est conferendus ex leui timore & ex tenuibus coniecturis concepto. vbi

Notandum prudenter facturos Praelatos vel Pastores, si peterent nomina parentum, non virgendo ut occultis & qui sine infamia reuelari non possunt, declarentur, quia sine peccato iniustitiae virgere non possunt, quando aduertunt ex declaratione securam alicuius infamiam; quo casu deberent conuincere in verbo obstericis fide digna, asserentis parentem vel parentes non posse absque infamia declarari. quod potest confirmari ex Rituali Romano Pauli Quinti sub finem folio 347. §. Forma describendi baptizatos in primo libro, vbi dicitur, si infans non fuerit ex legitimo matrimonio natus, nomen saltem alterius parentis, de quo constat, scribatur (omnis tamen infamia vitetur occasio). si vero de neutro constat, ita scribatur: baptizamus infantem cuius parentes ignorantur, natum die &c. ex quo clare constat non posse virgeri ut declarentur parentes cum eorum infamia; quod etiam sequitur ex communi sententia Doctorum in materia de detractione, vbi docetur non posse occultum alterius crimen reuelari citra peccatum iniustitiae, nisi maius aliquod bonum praeualeat, quod hic non cernitur.

Aduerte quod quando baptismus est collatus sine solemnitatibus, illa postmodum adhiberi debeant omnia forma substantiali, & applicatione materiae, & quibusdam mutatis in orationibus, ut patet ex Rituali, quae caeremoniae etiam eo casu suam significationem & effectum, habere possunt.

Difficultas est utrum quando deprehenditur baptismum

Talis est
rationabilis
lis merum
infamia.

II.

Solemnitates
debent
adhiberi

difficultas

baptismum solemniter collatum fuisse nullum de-
fectu legitimæ materiæ vel formæ, vel quando so-
lemnitates adhibentur ei qui putabatur baptiza-
tus, qui postmodum cognoscitur non fuisse bap-
tizatus, difficultas, inquam, est num solemnitates
debeant repeti, seu baptismus solemniter debeat
conferri.

Affirmat Victoria de baptismo num. 37. Ne-
gant alij, Viualdus de baptismo quaest. 60. quod
est verius, quia cap. *Pastoralis*, de Sacramentis non
iterandis, dicitur in talibus non esse aliquid iteran-
dum, sed eantē suppleendum quod incautē fuerat
prætermisum.

Difficultas etiam est, num sacerdos in baptismi
administratione possit aliquas caeremonias adhi-
bere alijs omisiss.

Resp. non posse ex intentione id facere, non
enim potest in baptismo solemniter, ut patet ex Con-
cil. Trident. sess. 7. can. 13. de Sacramentis in ge-
nere, ubi dicitur anathema asserenti in solemniter ba-
ptismo ritus ab Ecclesia receptos posse sine pec-
cato à ministris pro libito omiti. unde pro qua-
litate caeremoniæ que omittitur, peccatum graue
vel leue committitur. Neque potest in baptismo
minus solemniter aliquas adhibere alijs voluntariè
omisiss, sic enim censeretur baptizare partim so-
lemniter, partim minus solemniter, quod non li-
cet ministris Ecclesiæ, quibus non est liberum ali-
quas adhibere alijs omisiss: in baptismo tamen
priuato conuenienter adhibetur patrinus, quam-
uis id non sit necessarium, ut docet Sanchez lib. 2.
de matrimonio disp. 26. num. 3. & innuunt Do-
ctores.

Dices in Rituali Romano de baptismo dicitur
si infans vel adultus aegrotus adeo grauer laboret, ut
periculum imminet ne pereat, antequam baptismus per-
ficiatur, sacerdos, omisiss quæ baptismum præcedunt, cum
baptizet & c. deinde si habeat chrysm, imat eum in ver-
tice, dicens & c. postea det ei linteam candidum & c. de-
inde det ei ceream candelam accensam. si supermixtu-
m suppleantur alij ritus omisiss.

Resp. hæc videri intelligi quando minister qui
volebat solemniter baptizare, aduertit pericu-
lum, si omnes ritus præmittantur substantiali-
bus Sacramenti; quo casu præscribitur, ut possit
procedere ordine recensito, nullo tamen modo
videri intelligendum quando iam prauiso pericu-
lo baptismus minus solemniter in domo priuata in-
tenditur, v.g. tempore pestis.

Confir. ritus accidentales, qui pertinent ad ba-
ptismi solemnitatem non possunt in edibus pri-
uatis adhiberi, ut videtur colligi ex Clementina
unica de baptismo, & eius effectus; ubi prohibetur
baptismus conferri in ædibus priuatis extra neces-
sitatem, quod ideo videtur constitui, quia extra
necessitatem baptismus conferri nequit sine so-
lemnitate: in priuatis autem ædibus solemnitates
adhiberi non possunt, præterquam in baptismis fi-
liorum Regum, & per consequens neque ritus ad
baptismum solemniter pertinentes, qualis est chris-
matis inunctio, videri potest Nauarr. cap. 22. num.
7. qui dicit non licere baptizare cum solemnitate
extra Ecclesiam; constat autem cum qui adhibet
aliquas caeremonias non posse dici baptizare sine
solemnitate.

Confir. qui præsumeret ita baptizare, cum non
esset sacerdos vel diaconus, fieret irregularis; ergo
censetur solemniter baptizare.

QVÆSTIO LXXII. De Sacramento Confir- mationis.



VIA iuxta antiquam Ecclesiæ consue-
tudinem Sacramentum Confirmatio-
nis conferri solebat immediatē post ba-
ptismum, ut spiritualiter nati auge-
rētur in gratia & in fide roborarentur, ideo Scho-
lastici ordinem generationis attendentes, de eo
post baptismum disputant, immò & Concilium
Florent. & Trident. secundum locum ei tribuunt,
ubi obiter

Notandum 1. non esse eam necessariam connexio-
nem inter baptismum & Confirmationem, ut
baptismus sine hac non posset licitè recipi, sed
quod ad plenam perfectionem consequendam
Confirmatio debeat baptismi coniungi; quo sen-
su accipiendum est quod ait Melchias Papa
epist. ad Episcopos Hispaniæ, ita coniuncta sunt
hec duo sacramenta, ut ab invicem nisi morte præuen-
iente nullatenus possint segregari, & unum sine altero
perfecti non possunt, quibus verbis Pontifex non
vult baptismum non posse licitè recipi sine Con-
firmatione, sed quod ad perfectam hominis con-
summationem, Confirmatio debeat baptismi cō-
iungi, & quod ita olim fieri soleret. de quo videri
potest Dionysius Areopagita ecclesiasticæ Hie-
rarchiæ cap. 2. parte 3. & Ambrosi lib. 3. de Sacra-
mentis cap. 2. ubi dicitur: sequitur spirituale signaculum
quod audistis hodie legi, quia post fontem superest, ut per-
fectio fiat quando ad invocationem sacerdotis (id est Episcopi)
Spiritus S. infunditur.

Notandum 2. non esse etiam talem connexio-
nem ut nullum Sacramentum post baptismum
possit recipi ante Confirmationem; quia alia etiam
licitè possunt præmitti Confirmationi, quæ tamē
olim baptismi succedebat, si is per Episcopum con-
ferebatur, vel facilis ad Episcopum erat accessus.
immò hoc tempore adultos baptismum ab Episcopo
recipientes conuenit Confirmationis Sacra-
mento ab eo insigniri, ut patet ex Rituali Romano.

Notandum 3. hoc Sacramentum varijs nomi-
nibus appellari. vocatur manuum impositio ab
impositione manuum in eo Sacramento fieri soli-
tā; vocatur sigillum, signaculum, à signo crucis;
quod in fronte formari solet; vocatur Sacramen-
tum chrisimatis à materiā, in quā confertur; vo-
catur Confirmatio ab effectu eò quod baptiza-
tum cōfigmet & corroboret.

ARTICVLVS I.

Utrum Confirmatio sit Sacramentum?

AFFIRMAT. Probat autoritate Melchias, Resp. affir-
de qua infra; & congruentiā quæ in textu vi-
deri potest, & suprā quaest. 65. est explicata.

Responsione ad 1. docet Sacramentum Con-
firmationis per nullum veteris legis fuisse figura-
tum, quia est Sacramentum plenitudinis gratiæ;
lex autem nihil adduxit ad perfectum, ut Aposto-
lus ad Hebræos 7.

Responsione ad 3. docet Confirmationem non
esse necessariam ad salutem obtinendam.

Respons. ad 4. docet Christum authorē Sacramen-

Ff 2

torum

Olim con-
ferebatur
immediatē
post bap-
tismum.

Florent.
Trident.

Ad plenam
perfectionem
consequen-
dam debet
baptismo
coniungi.
Melchias.
PP.

Dionys.
Ambrosi.

Alia licitè
possunt
præmitti
Confirmati-
oni.

Variæ Co-
firmationis
nomina.

Hebr. 7.